GREGORIVS ROSCIVS



Silcienſis Sabinus

Pertinet ad Bibliothecam S. Fran: [illegible]

DE PESTE.



ROMÆ, Typis Maſcardi. MDCLVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMIN.^{MO} AC REV.^{MO}
PRINCIPI

FRANCISCO
CARDINALI
BARBERINO

S. R. E. Vicecancellario.

GREGORIVS ROSCIVS S. P. D.

EX Tuo munere habeo Franciſce Princeps Emi-nentiſſime, *vt certiſſimo exemptus diſcrimini, adhuc viuam. Tuus itaque hic meus exilis*

ſpiritus, Tuum hoc ingeniolum, Tua hæc lucubratiuncula Apũ, ſub examine tuta, criticorum aculeos incurrere haud vnquam verebitur. Onerent alij auctoritatibus libellos ſuos, eruditionibus exornent. Mihi ſatis eſt auctoritas Tua, ſatis eſt Patronus eruditiſſimus; cuius noctes, non in cubiculis, atque in cœnaculis, ſed intra numeroſiſſimam Bibliothecam exiguntur: & vnde non domeſticæ curæ grauiſſimæ, non ſtrepitus armorum, non peſtis rumores auertere vnquam potuere. Et quiſnam igitur longiorem, ac magis honeſtam vitam iactare potuerit, ſi die negotijs implicitus, noctu

ſtu-

ſtudijs applicitus, in noſtram ſalutem ſemper vigilas, nunquam dormis? Tu fœliciſſimis annis Tuis nunquã inſolens, aduerſis, ac turbatis rebus non fractus: ore ſemper micans, comis, ſtrenuus, impiger: quaſi fulmen huc, illuc diſcurſans, conſilio, voce, manu cunctis præſtò a des: Tu pauperes foues, erigis afflictos, bonis indulges, protegis inſontes, promoues amicos. Tu ſedente Vrbano IIX. Magno Patruo Tuo circumſtrepentem Peſtem, qua tot Vrbes clariſſimæ vaſtatæ, ac demiſſa ceruice adhuc languent, ab Vrbis mœnibus & vltra Romanæ Ditionis limites repuliſti. Tu denique adnuente

 Deo

Deo Optimo Maximo, ceu fatalis Aesculapius ad Tyberis Insulam appulsus hanc opprimes qua Plebs, Ordines, Vrbs vniuersa fluctuat. Vale.

Con-

COncinnam de Peste tractatiunculam doctissimi Viri Gregorij Roscij libentissimè legi, eamque mandante Reuerendissimo Patre Sacri Palatij Magistro in trutina positam adamussim expendi, in qua vti nihil, quod Catholicæ Religioni bonisue moribus officiat inueni, ita eam vt eruditissimam fateri debui, vtpote quæ in eius vestibulo ceù in ore eloquentissimam Barberinam ferat Apem, suauitatem illam prædulcis eloquij portendentem, magnum pariter mirari debui artificem qui vastam adeò rem, breuibus adeò perstrinxit lineis, vt clauserit totum in exiguo, quique nec mirum si aptis adeò præsidiorum aculeis, tantum profligare valeat hostem, cum ducem habeat inuictissimam Apem Barberinam, faustissima victoriæ ac dominij omnia portendentem; lucis vsura proinde dignissimum opusculum censeo hac die 19. Augusti 1656.

Ioannes Albertus Medicus.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiss. S.A.P.M.

M. A. Episcopus Hierap. Vicesg.

Imprimatur

F. Raimundus Capisuccus Ord. Præd. S. A. P. Magister.

DE PESTE.



ESTIS morbus exitiabilis Familiarum, Vrbium, Populorum, Prouinciarum; non ætati, non sexui, non Principibus, non infimis parcens; statutis quibusdã temporum spatijs in genus humanum immitti ab aliquibus asseritur; ne ex perpetua salubritate nimia hominum copia; ex copia ægestates, & fames; ex fame omnium excidium, atque confusio. Non tamen casu tanta humanæ Reipublicæ clades. Nec Deus pestis aliter est auctor, quàm fulminis, terræmotus, grandinis, & consuetarum ægritudinum. Res omnes, cùm conderentur, ordine non absurdo distinctæ fuerunt: nec quidquam fortuitum obuenit: nec rerum causæ, cùm congruunt, segnes, & effectum remorantur. Sic fulmen non potest non vrere, non prosternere, non disijcere, siue sacrum obuium, siue profanum fuerit: Miraculum tamen, & ex manu Dei pestilentia sæuire videtur: res scilicet insolitá, atrox, ex occulto, ac promiscua omnium strage metum simul, ac stuporem incu-

cutiens. Cæterum non omnes æquè attoniti, atque demissi: sunt & magis cordati; quibus non minus naturalis res hominum pestis, quàm sit pecudum morbus greges integros exhauriens: vel terræ malignus halitus, fruges, ac segetem exurens; tabefaciens. Ac proinde non extra naturam causas inquirentes, philosophica laude digni: quamuis rei difficultate distracti, non omnes vnam pestis causam asserunt.

Maximus ille Medicorum Hippocrates; Galenus, & alij non infimi ordinis Medici; non priùs in genus humanum pestem serpere scripserunt, quàm aer admodum corruptus, vel inquinatus fuerit. Putredinis autem causæ, largæ, & continuatæ pluuiæ: flatus australes: caligines contumaces, & qui ex terræmotibus graues halitus exiliunt; frugum semiputrium, cadauerum, post magnos conflictus, inhumatorum, locustarum, & ex inundationibus fœtor perniciosus. Hæc aeri permista, intra corpus insimul hausta, atque recepta sanguinem sensim inficiunt, corrumpunt, vincunt, immutant, vt non amplius vitę materies, sed venenum, ac pestis fit.

Sunt tamen, qui hasce pestis causas non approbant; quia aer natura limpidus, tenuis, leuis, atque simplex non subditus putrefactioni: & cum inquinantibus turba-

tur,

tur, labem non contrahit, non fouet, citò deponit. Et sic nulla pestis diù fureret, atque debaccharetur. Quid si putresceret, vel summè putridis, ac virulentis sordesceret aer, pulmonibus, cordi, cerebro nunquam non præsens, & quod magis est perpetua spirituum vitalium materies? Breui temporis spatio desertum, & horrida solitudo esset Orbis terrarum: humano genere penitùs extincto. Et quisnam, licet Hercules, vel Æsculapius tot, ac tam crebris venenati aeris insultibus non exanimaretur? Quomodo, si aer pars spirituum, spiritus, vnde vita nostra, non susciperent virulentiam, & susceptа, non occiderent? Nec ex fœtentibus halitibus peraerem sparsis perpetua, ac certa pestis occasio. Sunt quandoque cuncta anni tempora pluuiosa, & austris turbida: contingunt & exercituum strages: subsidunt terræmotibus colles: hiant planities: merguntur vrbes: noui fontes prodeunt: sterilescunt arua, vnde & annonæ caritas, inopia, fames, noxiorum alimentorum pastus, sanguis vitiatus, ægritudines, sed non pestilentes. Pestem tamen, quam excire non possunt, promouent, & exasperant; febres, & eos effectus cumulantia, qui putredini imputantur; & non rarò pestilentiæ admisti, signa putredinis ostentant, & erroris occasio sunt illis, qui pestis causam summam putre-

dinem

dinem afferunt: quamuis non raro pestilentia correpti laudabile, non turbidum, crassum, non subrubrum mingant, non febricitant, non sitiant, non fœtent, nec quidquam intra corruptum ostendant. Quomodo ex Telluris visceribus tam rabidum, venenatum, diuturnum, ac spatiosum effluuium; vt hominum plus quàm medietatem aliquando sustulerit? Nec minimum vellicatis cæteris animalium generibus; & ipsis spirantibus, & in eodem aere, ac regione degentibus?

His de causis Fernelius, & non obscuri nominis alij, sublimes, atque cœlestes, quàm humiles, terrenasque pestis causas maluerunt. Sed cùm sydetum confluxum nec indicauerint; vel odio in genus humanum peccauerunt, & diris imprecationibus digni sunt vt inquietentur: vel inscitia defecerunt & risu prætereundi cæteros docere volentes, quod ipsimet ignorant. At manifesta est, inquiunt, vis astrorum in terris: Sol enim suo per Zodiacum circuitu quatuor anni tempora mira nascentium varietate distinguit: ac desertæ sunt illæ terræ, quas Sol nunquam lustrat. Cùm itaque terrestrium salus à syderibus, quidni & pernicies aliquando immineat? Quia sydera nunquam non eadem vires haud nunquam variare possunt, vt pestiferæ sint, quibus semper fuere

salu-

salutiferæ . Et quisnam vnquam aliorum astrorum vires agnouit, quàm Solis ? E huius quid aliud præter lucem, atque calorem ? Dicant amabo, si alij alias nouerunt. Nec Sol aliter est auctor Hyemis, Veris, Aestatis, Autumni, quàm exili, summo, ac temperato calore; & eo ferè modo, quo ignis ex ouo pullum educit. Virtus, atque vigor in ipsa terra, quemadmodum in ouo delitescit: nec priùs expullulat, quàm Sol aeris temperauerit rigorem, ortus rerum non obscurum impedimentum. Luna, Venus, & qui propiùs nobis suspiciuntur errones, Solis lumine, siue tepore valent. Aliarum stellarum cœtus, quæ interuallo propemodum immenso dissitæ, & extra nostrum orbem voluntantur, nec profuit vnquam, nec noxæ cuiquam fuit. Væ generi humano, si stellarum malignæ coniunctiones pestem efficerent. Eodem tempore, ac derepente in omnes terræ partes spargeretur pestilentia: non solitudine, fuga, pharmacis, selectis alimentis; non viris, mulieribus, senioribus, pueris; non robustis euitabilis: cælitus scilicet demissa, & cùm sit res quædam cœlestis, nec in terris habeat contrarium, incorruptibilis, inuincibilis: vincibilis autem, si quem præteriret, & non inficeret: Et si vincibilis à contrario, & quidem calida, si à frigido: vel humida, si à sicco; & sic non amplius vis occulta.

culta. Num à validis partibus reijciatur, & hærere non valeat, Telluris intima viscera, & ima marium nulla contentione subiens? Sed non permanet, inquis, cœleste illud est fluuium, atque pestiferum: pestem excitat non aliter, quàm facula, quæ in classem immissa, omnia nauigia incendit, atque consumit? Tanquam inscius sis, omnes quotquot à priori flammula exoriuntur nouæ flammæ, ab igne non esse differentes. Sic & quæ post solutam syderum coniunctionem, pestem souet causa, non minus quàm prima cœlestis esset, & inuincibilis, licet in terris nata. Num ille syderum malignus adspectus pestem inducat, quemadmodum Solis æstus febrem accendit ardentem, etiam procul à Sole exæstuantem? Ac tanti sit, vt eiusmodi venenum efficiat, quod etiam post necem ægrotantium superstes per contactum sequius obuios aggrediatur, atque distorqueat? Non equidem, quia cùm omne venenum verum corpus sit, nec intra corpora nostra ex alio procreari possit; quàm ex humoribus: sanguinis corruptio esset necessaria, quam Fernelius, tam impensè renuit; & eodem tempore in omnibus illis regionibus pestiferæ constellationi subiectis atrox pestilentia suboriretur. Num cœlestis illa vis pestis causa sit, sanguine non prius corrupto?

Omnium autem, quotquot memorantur pesti-

pestilentiarum genera, exiguum, mite, & obscurum semper fuit principium; nec prouincias, exercitus, vrbes; fortasse nec totam simul familiam, ac statim occupauere. Ab vno homine ortum contagium floridissimas prouincias, vastaque desolauit imperia. Non nego tamen aliquas quandoque crassari ægritudines, easque perniciosas, ac subitò coortas ingentem vim hominum cuiuscunque sexus, vel ætatis, & non solùm contubernales, domesticos, vel ciues solos; sed & longè distractas, ac vel inuijs montibus, vel mari discretas vrbes incolentes vna simul tempestate interimere; causam scilicet habentes vniuersalem, terræ noxium halitum, & quæ ab Hippocrate pessima anni tempora describuntur: sed ni & in contiguas serpant, nunquam vera pestis. Anno à Partu Virginis M.D.XXXVIII. per omnes ferè Europæ ciuitates dyssentheriæ exitiabiles referuntur. Vidit & ętas nostra perniciosas febres vidit & pleuritides, quæ neminem non strangularent, sed quia & in proximos non irruebant, nec pestis creditæ sunt. Sunt insuper lepra, scabies, lues gallica, quæ per contactum contrahuntur, sed cùm rarò, vel tardius occidant, non pestis.

Pestis itaq; quædam est ægritudo in plurimos per contactũ irrumpens, ac breui omnes propemodum occidens, nec ab vniuersa-

li-

libus casus emanans. Nonne M. Antonino imperante ex aperta in templo Apollinis capsula tanta coorta est pestis, vt ex Seleucia, per Græciam Romam vsque delata sit? Nonne & Venetijs quid simile nostris temporibus accidit? Risus materiam prębet Cardanus, Vir alioquin clarus, atque subtilis; cùm ex arcula tam angusta putrem aerem exclusum, Babylonia, Gręciaque infecta Romam vsque ventis impulsum esse affirmat: oblitus forsitan aerem natura simplicissimum, & omnium quæ circa terram leuissimum non putrescere, & si quando corrumpitur, non nisi in aquam posse, aut ignem facilius commigrare; nec grauiores terræ, ac mistorum halitus diù substinere, nec tam longinquo transitu ventis concussum, ac tanta aeris mole distractum, atque confusum vires aliter seruare potuisse, quàm fellis gutta in lacum infusa seruat amarorem. Satius profectò si ab infectis hominibus, atque militibus per Babyloniam, Græciam, & Italiam distributis, pestem tam atrocem illatam scripsisset, Quemadmodum ex Sardinia appulisse fertur, quę Neapolim tam immaniter nunc depopulatur: & Romam iam dudum affligeret, eaque experiremur mala, quæ ex Neapoli mœstissimis auribus accepimus; ni Deus Optimus Maximus Generosissimum Principem dedisset Pa.Pa. ac Pont.Opt.Max.

Alc.

Alexandrum VII. eximia ſapientia, inclytis moribus, vitę ſanctitate, omnium conſenſu capacem Imperij, antequam imperaſſet, & nunc quando imperat, ad vltimam ſenectam vſque dignus imperandi. Hic verus Pater Patriæ, peſtis auditis principijs, diſpoſitu, prouiſuque rerum peritus, non ſumptibus, non laboribus parcens, die, noctuque vigil, cùm omnes ſupini requieſcimus, nil impenſiùs optat, quàm populorum commodum, quietem, atque ſalubritatem.

Multiplicium autem, grandium, ac ſimilium effectuum cauſa, ſæpenumero non vniuerſalis. Alimentorum vitio, vel prægreſſa ægritudine quis ſcabie, ſeu lepra infectus, integras ſępe familias fędauit, ac mortales omnes deturpaſſet, ni ſecreti abſceſſiſſent. Non ne & lues venerea ex India in omnem ferè terrarum orbem à paucis militibus diſſeminata? Quid mirum? Multarum in ſiluis arborum incendium ex parua ſæpe ſcintilla: ac ſegetum, locuſtarum, pecorumque propagatio ex granulo, ouo, exigua genitura: nec niſi ex Adæ, ac Euæ coniugio hominum infinitus fermè numerus. Non abſimili ratione peſtis ſerpere, ac procedere videtur. Nunquam non aliqua ciuitas, ſiue prouincia peſte non flagrat, atque laborat, Germanis vrbibus, Bizantio, & vbi bellum fermè continuum, peſtis veluti vernacula,

familiaris; nec adeò truculenta, ac illis nationibus, in quas recens inuehitur. Quemadmodum nostris temporibus morbus gallicus longè tolerabilior, quàm initio sui aduentus: ab aere forsan, ac nostris naturis ab Indis dissimilibus mansuefacta, lenita, ac temperata causa; eo ferè modo, quo fructus quidam insuaues per insitiones suauiores euadunt: vel plantæ veneficæ mutatione soli mitescunt, & minùs perniciosę.

Quod si ita se res habet, & insuper verum est inter omnes nationes aliquod esse commercium: quid ni & verum sit nunquam nouam emergere pestilentiam? Sed modo in vnam, modo in aliam prouinciam à militibus, peregrinis, atque mercatoribus inferri: & illatam, quasi ignem in siluis, triticum in pingui solo, & in segete locustas breui, ac mirum in modum augescere?

Quia scabies, lepra, canum rabies, nullo contactu, vel morsu prægresso, noua sæpissimè exoriuntur. Nec Pthisis parentum semper hæreditas; nec ignis semper ab igne: aliquando ex calibis, ac silicis collisione nouus educitur. Transeo ad locustarum generationem: quarum tantus exercitus hoc, ac proximè præteritis annis agrũ Romanum inundauit, vt sata omnia, segetem, aç prata sibi meteret, atque depasceretur. Et ni hominum agrestium agmen immissum attri-

triuisset, & oua priusquam excluderentur, educta corrupisset, in immensum adauctæ, ingenti hominum, ac pecudum damno, vniuersam Italiam occupauissent. Adeo hoc genus animalium fœcundum, vt asseuerare non audeam, ex putri ne procreentur. Quid opus est ouis, ijsque tanta industria munitis, atque circumuallatis, vt nec niuium, ac pruinarum, nec imbrium timeant iniurias, si ex putri nasci possunt? Sed nisi ex putri oriantur, cur perrarò, ac summa cum admiratione visuntur ab Europeis? Num semper sint, sed quia paucæ, & obscurum damnum ferunt, non aduertantur? Nec multiplicent, nisi fauentibus tempestatibus, veluti & quandoque nec reddunt arua, nec fructificant arbores? Ex Africa ne, vbi eorum creditur seminarium in Europam deportentur?

Ita & pestem latitare, & emergere forsan affirmarem, si quemadmodũ pestis causam halitum scio, atomorum scilicet turbam; sic scirem omnes illas atomos viuere, ac veluti locustas in agris, nostris corporibus includi; sed propter paucitatem innoxias, donec opportuna occasione admodum auctæ, inquinent, occidant; ac & extra per aerem sparsæ incidentes, obuiosque adoriantur; Et quamuis fidem facere, inuitare, & animos addere morbus gallicus videatur, qui

nunquam nouus emergit; sed semper per contagium, veluti quodam ex semine; & si omnia illius inquinamenta eluerentur, insimul & ipse perderetur: haud tamen vnquam in sententiam inclinabo (sciens de nouo & pestilentes febres nostris corporis innasci, pesti non omninò dissimiles) verisimiliores causas proferre non desperans.

Dixi verisimiliores: veras enim inuenire, vel inuentas demonstrare impossibile penitùs censeo, sensibus scilicet omnibus occultas, & ipsam quoque mentem propter hoc eludentes.. Ac proinde veneficam naturam non obscuris ambagibus ostentant. Venenum etenim ab hominibus asseritur, quidquid occulta, ac mirabili ratione distorquet, aut interimit. Ignis, gladius, præcipitium, laqueum, & quodcunque aperta vi patrat exitium, nec venenum. Arsenicum, sublimatum, cantharides, & quæcunque exedendo cruciant, atque consumunt, perniciosa quidem, sed non venenata. Sic allij, piperis oleum, carbones accensi, quinimo & vini spiritus depuratissimus, & acerrimum acetum, cùm vltra mensuram hausta ventrem vrunt, laniant, & extinguunt ceu noxia venena damnari mererentur. Verum me hercules venenum, quod exiguum mole, nullo manifesto vulnere, seu laceratione vires opprimit, hebetat, enecat. Idipsum est, quod

vipe-

vipera, araneus, canis rabiosus mordentes immittunt, & quod opera magnorum magistrorum decoquitur, & vel illitum perdit. Est autem pestiferum omnium pessimum: clam scilicet subiens, non visu, non auditu, non olfactu, non gustu, non tactu explorabile; quinimo nec dum torquet, nec post mortem, vix multorum strage comprehensibile (adeo personatum, & consuetarum ægritudinum tegmine tectum adolescit, panditurque) Et quod ad instar miraculi in extinctis non extinctum, sed ex tabo magis vegetum, ac truculentius exurgens propinquos, & incautos adoritur: vestibus suppellectili, parietibus, laquearibus metallisque diutiùs adhærescens.

Hinc satis clarum argumentum non simplicem, ac nudam esse qualitatem (citò procul à fomite vanesceret) sed corpus, licèt sensibus occultum, non adeo tamen tenue, vt solidorum corporum obiectu coerceri nequeat: exterius quidem hærere, non traijcere potest: Exili quantumuis chrystallo tutò detinetur: nec corpora viuentia subiret, nisi viuerent. Ijsdem ductibus, per quos tepidi vapores erumpunt, & adducitur. Est tamen, quamuis exiguum, admodum contumax, atque stabile. Non frigore, non calore temperato vincitur: annis integris vestibus occultatur. Vix igne, gelidisque Aqui-



lonibus absumitur, & extinguitur. Ac propterea inter spiritus non immeritò collocandum esse videtur.

Spiritum nominare solent homines quidquid sensibus abditum, dummodo strenuum, & ingentia moliatur. Quid autem huiusmodi veneno magis abstrusum? Quid violentius? Quid admirabilius? Non autem spiritus aqueus, atque vaporosus, segnis scilicet, ac nullius valoris: sed fixus, terrestris, fortis: vti sulfureus, nitrosus, & qui in adustis salibus reliquus multo igne solet educi. Ac proinde non ex longinquo, quinimò nec noxius, nisi attingatur.

Attingitur autem non solùm in ægrotis, domicilio, indumentis, cubili, sedibus, & instrumentis omnibus, quibus vsi fuerint inquinati, sed & in ijs, quæ attrectauerint, qui sani sunt, & exterius adhuc applicitum portant spiritum pestiferum. Cur enim terra, parietes, lapides, metalla, quæ peste correptus tetigerit, suspecta, atque perniciosa, & non perniciosa, quæ attinguntur ab illis, qui vel in vestibus, vel circa cutem fouent pessimam luem? Non aliter pestis contrahitur, quàm pediculi à pediculoso. Hic me implet, ego longè plures, si multitudini me immisceam, partim in sedibus, partim in cubili, partim alijs in locis spargens fœda animalia, licet non intra subuculam receperim, mor-

suf-

ſuſque adhuc ſentiam. Et,ſi ita ſe res habet, non miror, vno ab homine, vel contaminata veſte immaniſſimam plures per prouincias peſtem ſpargi poſſe. Vuæ tantùm acino vitiato, vel putrefacto malo, totus penitus racemus, ac pomorum aceruus ſæpenumero corrumpitur.

Cùm hic itaque ſpiritus virulentus veſtibus noſtris adhæſerit, calore quaſi animatus, non ad extra, ſed intra ſemper, ceu pulices, atque pediculi, adnitur. Cùmque cutem attigerit, magis promptus ſubit, ac ſanguine confuſus, per venas deductus ad cor; & inde per arterias in omnes partes reiectus, & aſſiduè dum circumducitur, ſanguinem ſenſim fœdat,corrumpit, extinguit, venenat. Non priùs tamen partibus, ac viſceribus grauis, quàm ſanguinis purioris partem notabilem in ſuam traxerit naturam. Tunc ſentientibus partibus, ac præcipuè cordis fibris fixa labe; obſcura primùm moleſtia, ſegnities, nauſea, capitis torpor, ſomnus turbidus, cordis languor, trepidatio, impetus denique, concitatio, febris (in venenum ſcilicet indignatio) exanthemata, carbunculi, bubones, eryſipelas,lotium confuſum, aluui fluor: & ſi vires ſteterint; abſceſſuum maturitas, veneni diſſipatio, ſudor, victoria, ſanitas. Sin vitalium ſpirituum pars præcipua in venenum

corrupta fuerit; cordis nisus languidus; vires imbecillæ; pulsus frequens, atque minutus; syncopes, inquies; vigiliæ; delirium; stupor; bubonum cruditas, regressus; nigrities, febris obscura, spirituum extinctio; interitus.

Si pestis, inquis, causa venenum est adeò mortiferum, quidni & alia animalia exanimet, sanguinem habentia à nostro non admodum dissimilem? Verum namque venenum, vti viperinum omnibus æquè noxium, nec tamen calamitosum attrectantibus. Et si tam exiguum, quomodo sanguinis fluctibus circumuentum, vincat potius, & non vincatur? Eò magis, quod iam auctum, atque formidabile, cùm scilicet pestem exciuerit, non rarò disijciatur, edometurque? Ne dicas, quia nullam nobiscum ægrotantibus habeant societatem. Sunt canes, sunt feles, qui domus infectas incolumes inhabitant, ni sanguinem, vel corpora infecta exederint. Quid mirum? Sunt qui diù pollutis feliciſſimè miniſtrauerint. Num quia sanguinem habeant terrestriorem, & ideo ineptum ad alendam luem alimentum? Num quia circa cutem tanta salsedo, aut aciditas ex vaporibus exeuntibus, vt appellentem labem euincat, disijciat, aut non patiatur vltra penetrare? Nec viperinum virus omnibus perniciosum. Ranæ;

bu-

bufones, ferpentes, testudines, nullo damno mordentur: homines autem & calida omnia animalia enecat, quia veluti coagulum sanguinem densat, sistit, inhibet motum. Et quia non admodum promptum ad subeundum, per contactum non serpit, cutem non traijcit; læderet autem, si sanies ex morsu extinctorum, vulneribus, vel illineretur, vel voraretur. Nec denique mihi nouum est à pusilla re, mole maiorem aliquando superari. Aceti momentum in amphoram vini infusum, totum vinum paulatim vertit in acetum, & exiguum fermentum ingentem massam acesacit. Cur ergo & pestiferum venenum, licet modicum, multum sanguinem nequeat venenare? validissimum enim, atque pertinax, sanguinis partem, quam se non maiorem, quinimo & minorem primùm circumuenit, in suam naturam antea trahit: Ex qua accessione magis auctum, maiorem sanguinis partem mox vitiat: & sic augescit assiduè, donec vniuersum, vel plerumque corruperit.

De huiusmodi auctione neminem suspicari crediderim. Num summis digitis palpatum venenum, idque perexiguum; vel indumentis applicitum, omnia viscera, ne dicam cuncta membra, & sanguinis omnes riuos simul teneat, atque contaminet? Et idipsum exteriùs profusum circumsistentibus

omni-

omnibus inhærescat? Et vno ab angulo per vastas prouincias extendatur, vel pluribus simul locis adsistat?

Cùm igitur huiusmodi veneni incrementum satis, superque constet: Ex quonam denique inquirendum. Num ex carnibus, atque solidioribus partibus, quas vel carbunculo, vel Erysipelate, vel bubone obsessas sæpe sæpius animaduertimus? Non, inquam, quia venenum res fluida, partes autem non. Nec abscessus illi ex solido, licèt in solido. Nec nisi iam squallido sanguine, post febris exortum, & alias cordis angustias extuberant. Pestis effectus sunt, non causa. Quamobrem nec audiendi scioli quidam, & ex vltima plebe, præfatos tumores pestem iactitantes. Plures enim, his non dum natis, subitò rapiuntur. Et igne cùm facilè possent excindi, perpauci periclitarentur; quemadmodum non pereunt, quibus citra pestem carbunculi innascuntur, & igne terminantur. Præterquam quod cùm ibi plerumque conspiciantur bubones, vbi haud est verisimile primum venenum per contagium adhæsisse: operæprecium est asserere intra corpus antea receptam fuisse labem, & inde exisse vnà cum sanguine iam infecto, atq; pernicioso,

Longè veriùs itaque, qui veneni materiam sanguinem affirmant. Papulæ, Bubones, Carbunculi, Erysipelas, Virium languor,

Pulsus exilis, Vrinarum confusio, Pallor, ac omnia prorsus munia deprauata à sanguine contaminato: quemadmodum ab incorrupto omnium valetudo, alacritas, vigor, color purpureus. Quid magis? Iamiam eductus sanguis pestilens, non viuidus, purpureusque; sed subliuidus, flaccidus. Miraberis fortasse tanta mala ex corrupto sanguine hominibus contingere? At non miraberis amplius, cùm perpenderis, quanta bona ex bono, & illibato sanguine nobis & obueniant. Quid? Bona valetudo, ipsaque vita ex laudabili sanguine: ex polluto morbus, & interitus. Quid nobis pane, carne, vino gratius, cùm integra sunt; quid si corrupta, insuauius: Vel naribus admota stomachum subuertunt, cerebrum turbant. Nil magis quàm putrefactionem horret natura nostra; & meritò quidem, quia spiritus est interitus, & mors nostra.

Licet autem sanguis vnum corpus, non aliter ac sit lac, seu vinum: varijs tamen modis putrescens, in varios vertitur humores. Patent hæc putrefactionis genera in exterioribus tumoribus, phlegmone, carbunculo, cancrena. Horum omnium causa sanguis, sed diuerso modo putridus. Et quemadmodum extra venas modicum sanguinem variè putrescere, & in varias naturas migrare cernimus; sic & intra venas multum sangui-

guinem corrumpi, ac putredinis varietate, varias febres accendere animosè affirmare possumus. Benignam scilicet putridam, cùm sanguis putret, vt in phlegmonibus: Malignam, cùm eo modo, quo in epynictide, seu carbunculo. Pestilentem denique, cùm sanguis cancrenosus intus factus fuerit. Quid ad hæc Fernelius? Num carbunculi, atque cancrenæ venenum quid præter putridum sanguinem? Num & hoc à sydерum influxu? Et nisi hoc: Quid ni & ab inferioribus causis pestilentium febrium venenum, quod non dissimile cernitur in omnibus carbunculis, & cum pestilente, & citra pestilentem febrem? Nonne & à cancrenis, atque carbunculis citra pestilentiam exortis, pestilentibus similes febres excitantur, cum pulsu demisso, virium imbecillitate, defectione; ad cor scilicet virulento illo sanguine per venas remeante?

Et si pestilens febris à putrescente sanguine, quidni & pestis ab eadem fermè causa, nempe sanguine summum putredinis gradum adepto, cùm vtrique adiunctæ sint papulæ liuescentes, antrax, bubones, parotides, syncopes, virium imbecillitas, & ea omnia, quæ in peste animaduertuntur; nec inter se different, nisi in hoc, quod pestis admodum contagiosa, febris verò pestilens tutius tractetur? Dixi, tutius, nam in eodem

dem cubiculo diutiùs cum ægrotantibus immorari, non ſine manifeſto periculo contingere, nemini non notum eſt: Contagij autem vis ex maiori putredinis gradu, quo ſanguis venenum vehementiùs fit, & magis contumax, non citò diſſipabile. Idipſum inter peſtem, ac peſtilentialem febrem diſcrimen intercedere puto, quod inter malignam, ac peſtilentem febrem: & quemadmodum febris peſtilens maligna eſt malignior, ſic peſtis, peſtilens eſt peſtilentior.

Cùm autem perrara ſint illa corpora, quæ ſalua vita, tantam putrefactionem ſubſtinere poſſint, ex qua genus illud veneni emanet, quod ſua contumacia, robore, ac impetu peſtem inferre poſſit: idcircò nonniſi perrarò & in paucis primum peſtis initium (vt plurimùm enim, ac fortaſſe ſemper in aliquo terrarum angulo coercetur) & animalium quaſi quoddam genus ſemine propagatur, ſpargiturque ab hominibus, huc illuc commeantibus; vſque eo tandem ſæuitura, donec horribili facta ſolitudine, & non amplius inueniens in quos irruat, ſua ſe ipſam edacitate, velut ignis extinguat; qui in ſyluam immiſſus quaquauerſus effunditur, diſcurrit, flammas extollit, nec priùs extinguitur, quàm in omnes arbores impetum fecerit, & illis vel in cinerem verſis, vel ſemiuſtis, vel nimia viriditate præteritis, finem ſibi, ac pabulo poſuerit.

Tan-

Tantæ denique sanguinis putredinis, si causas petieris, easmet ipse dabo, quæ à nostris circumferri solent. Terræ graues halitus: cadauerum insepultorum fœtor: alimenta semiputria, & vt in diuturnis obsidionibus,& immobilibus castris sæpesæpius contingit: inopia: insolitorum esus: sordes: odor noxius: otium: æstus: frigus: humiditas. Et hinc multorum infirmitates: febres malignæ: pestilentes. Et ex his angustus aer, & antea impurus, admodum inquinatus, & iam pestifer, pestis causa,& infaustum principium; illis præcipue, qui in aere puriore spiritum ducere solent. Nec, credo, deridebor, si dixero, & annis saluberrimis in vno tantùm homine pestis venenum ingenerari posse, pessimorum ciborum vsu, dissoluta viuendi licentia, & quadam naturali inclinatione sanguine admodum putrefacto: quia omni tempore inueniuntur aliqui, qui febribus malignis, pestilentibus, carbunculis, vel cancrenis citissimè absumuntur.

Et hactenus tam internis, quàm exterioribus pestis causis satis discussis: ad signorum descriptionem ecce demum mentem inflecto: non ea nimirum, quæ futuram pestem præmoneant (nullis prægressis indicijs, ex improuiso, nunquam fermè non infertur.) Ac frustra quis pestem vaticinatus nobis fuisset ex locustarum prouentu, pecudum in-

fe-

fectione, segetum tabe, graui ex annona, eclypsibus, cometis, diuturnis, ac feralibus bellis, si procul constitisset infectus: sed ea, quæ vix dum incipientem detegant, & ex quibus inter febres malignas, pestilentes, & alias ægritudines nobis elucescat discrimen: Et quæ ni fallor hæc sunt ipsissima. Multorum ijsdem in ædibus mortes prærapidæ, mox & eorum, qui ad ferendam opem exteriùs accesserunt, similes, ac præcipites ægritudines: Obscuræ febres, quinimò vsque adeo quandoque tepescentes, vt hocticas aliqui dixerint: cùm reuera sint omnium putridissimæ: veluti quæ propè mortem, non amplius febres imperitis, & extinctæ sunt, extincto calido innato: Pulsus exilis, inæqualis: Vigiliæ: laruæ: delirium: sopor: sitis non atrox: Alimentorum fastidium: fœtor anhelitus: lingua nigra, non expedita: suspiria: inquies: vrinæ turbidæ, dilabentibus sordibus, & non dilabentibus, limpidiores, sed liuescentes, ac magis funestæ: animi deliquia: faciei rubor, mox pallor: extremorum frigiditas: virium lapsus: oculi tristes, languescentes: bubones: carbunculi: papulæ liuidæ: cancrenæ.

Hæc statim ac exploratus fueris, si ad Principem detuleris, non maius Patriæ, Reique publicæ beneficium vnquam præstare poteris.

ris. Principum namque viribus, & auctoritate, prouisuque, non arduum erit (integris ab impuris, suspectis, & attactis perquisitis atque singulis in sua loca discretis, incenso supellectili, clausis, mox repurgatis domibus) nascentem pestem obruere. Sin malum serò detectum, vsque adeò sparsum sit, vt libero ex commercio metus sit, ne omnes fœdentur, aut attingantur, & sic vrbs desoletur; vnusquisque suis domicilijs includendus: Optimatibus interim commendato onere, omnibus ex ærario quotidie subueniendi; infirmos statim educendi, & cadauera, si qui pereunt, procul, & quam primùm contumulandi.

Medicorum autem duplex cura, integros præseruare, lapsos erigere. Ac tutior quidem, & magis expedita præseruatio ex fuga, & ni fugere expediat, ex secessu: & si exeundum, per amplas vias, neminem attingere: parare necessaria; domi continere familiam: frequentiam, hominumque cœtum vitare: procul ab infirmis; nudis manibus non præhendere quidquam. Quibus autem munus ministrandi, medendi, humandi, ingens vitæ discrimen: ac proinde non irridendi; si insolitis, & indecoris inuoluantur indumentis. His indusium, & quæ cuti contigua linacea sint aceto acerrimo decocto madefacta, ad vmbram exsiccata. Cœtera,

tera, quæ ſuperiùs induere ſolemus, tibialia; thorax, fœmoralia, biretum, chirothecæ, & quæ ſuperponitur tunica, ex tela craſſiore, vel ſola cera delinita, vel ex muco ſeminis lini, ærugine cum aceto decoctis. Os, & nares grandior ſpongia aceto tumens protegat; ægrorum cubiculum aceto, nitro ac ſulfure redoleat, in vaſe fictili æſtuantibus. Cùm domum redieris, in limine, exue calceamenta, ſordidas veſtes aceto mox abſtergendas, in quo argentum viuum ad nigredinem vſque fuerit concuſſum. Linacea tantum retine: ac pro anni tempore aliud ſuperindue. Manus, atque faciem ablue poſca. Alimenta elige boni ſucci, non admodum liquida, nec delicata, quia in labem promptiora; nec niſi compellente fame; circa ſatietatem;ne nimio humore pingue corpus promptiùs putreat: Condimenta ex aceto, agreſta, omnibus pomis acidis. Aromata, allia ſuſpecta, & quæcunque calefaciendo calidum innatum corrumpunt, putrefaciunt: Vſus vini auſteri, fului, limpidi, ſubacidi, imbecilli, frigidi: ſomnus breuis, nocturnus. Procul omnis triſtitia, venus, ſegnities. Mens ſit hilaris, contemplationibus non laxetur. Theriacæ, Mitridato plùs famæ, quàm vtilitatis, ac ſanis, quia ſani ſunt, nec intus habent noxium, vſus periculoſus, viſceribus, ac ſanguini adijciens æſtum. Infectis magis

C pro-

proficuus; quia infecti, & expurgatione indigent. Non minori damno se exponunt, qui acribus se odoribus polluunt: onerant cerebrum, spiritus in furorem agunt, virilitatem eneruant. Sunt qui rotulas, & sacculos ex arsenico, sublimato, antimonio, risogallo, auripigmento, aridis bufonibus, ac multis aromatibus confectos, regionem cordis superponunt, ac die, noctuque gerunt: pestiferum venenum his à corde reuocare temerè credentes, non apparentibus coniecturis, non experimentis innixi: cùmque non minorem numerum hæc gestantium, quàm negligentium inquinari, & obire obseruatum sit. Vel si quam vtilitatem ex huiusmodi suspensis accipiunt, similem illi, quam affert argentum viuum, dum caliditate partium in vapores extenuatum, subit, ac sanguini permistum, corruptionem arcet, aut extinguit (& ipsis ex putri nascentibus insectis, ac lui venereæ perniciosissimum venenum.) Ac proinde si quis vniuersum corpus inunxerit aceto acerrimo, in quo hydrargirum, atque theriaca dissoluta fuerint, longè meliùs, atque tutiùs sibi cauerit; præcipuè si sanguinem firmum, terrestrem, & acrem sibi parauerit alimentis acidis; spiritu sulfuris, & calcanti in iure veteris capi; aquarum acidularum vsu in vino, & ieiuno quan-

quandoque ventre, vberiore potu ad aluum expurgandam, feruorem leniendum, si æstas ferueat. Nec perperam quis sibi consulet, si quatuor stigmata brachijs, atq; coxis inusserit, edocta assuetaque pridem natura per eos ductus inquinamenta dimittere, vt & luem pestiferam promptiùs eijciat; & paulùm arefacto corpore, & in putredinem minus procliui.

Curatio verò præseruatione tantò difficilior, quò difficilius est eijcere, quàm reijcere. Subitò tamen, nec temerè suscipiatur, æstimatis anteà viribus, ne serò, ac frustra occurras: vel medicamentorum vehementia citiùs patientes opprimas. Et quam aliam putas esse febris causam, quam cordis concitatiorem motũ, noxium festinantis exturbare sanguinem? Erras, si febrem in peste perniciosam putas. Sola venenum vrit, atterit, in diuersas partes dispergit; per cutem scilicet, ad axillas, inguina. Bubones, carbunculi, sudor, papulæ, vrinæ turbulentia pro natura sunt, ac valetudinis causa; ni sanguinis maiore parte contaminata, vires imbecillæ sint. Febris igitur excitanda, ni adsit, & si segnis, irritanda. Bubones si tardè exeant accelerandi: optandi & carbunculi; exanthemata promouenda, sudor, ac lotium prouocandum.

Ad primum igitur pestis insultum, tartari

Bononiensis depurati semiuncia in iure exhibita, aquam acidulã subitò ad libras i i x. frigidam & ebibe, plus, aut minus prout expedierit: Vehementiùs purgantia vires prosternunt, turbant, virus non eliciunt: Mox ex eadem aqua, oleo, ac hiera immisso clystere, ac digitis tabacci decocto madentibus tentata gula, repurgatoque ventre, & aqua insimul egesta: quatuor vessicantia cruribus, & brachijs statim affige: vel si citius iuuare cupis, spongiola aqua feruida madefacta easdem partes inure. Acetum deinde destillatum multo Mercurio ad nigredinem vsque concute, & addita theriaca, & nitro totum inunge. Alimentaque tunc prællò sint ex carnibus vitulinis, gallinaceis, veruecis, capi, vel contusis, vel destillatis, vel in iure dissolutis, cum succo limonum, ac spiritu calcanti. Et, ni febris æstus nimius, vinum & ebibe ad acetum vergens; sin feruor, ac sitis nimiùm vexent, poscam, loco vini, ne reformides. Et sic semper, quinque horarum interiecto spatio, alimentis occurre, ne vires langueant. A pastu tribus horis, prima die hoc bolo statim prestò adsis. Pulu bufonis vsti, extracti chinæ chinæ, contraieruæ an. gr. iiij. puluer. viperæ gr. vj. theriacæ q. s. Superbibe vini generosi ciatum; & non interiecto tempore, cucurbitulæ affigantur omnibus partibus, sed citra scarificatio-

nem,

nem, exceptis ijs, quæ propè axillas, circa collum, & inguina apponuntur. Altera die theriacam optimam cum quatuor granulis Mercurij depurati, vel ex argento arte expressi, non ad dr. i. sed ad dr. ij. audacter offer; vino mox subacido ad satietatem hausto, vel, si ardor intolerabilis, posca ex aqua cardui benedicti, & aceto acerrimo, vel spiritu calcanti confecta ad extinctionem vsque sitis ebibita. Circa vesperas, vel multa nocte adhibe denuò sudoriferum præscriptum, & ni sudorem tunc exciuerit, auge quantitatem: vel vtere bezaar occidentali ad gr. xxv. cum pulu. bufonis gr. vj. in vino multà aqua cardui sancti temperato.

Sanguinem ne vnquam effundas, ne viribus fractis, vincendi spes excidat: & quantitate imminuta, quod reliquum est sanguinis, ne promptiùs sordescat, atque vincatur. Mistum est in venis & bonum, & malum, dataque via ad proportionem exeunt; & ad proportionem tam morbo, quàm natura demissa, nec minimum leuamen. Leuitatis notam subeunt, qui naturam bonum sibi retinere; nocuum excernere blaterant. Sic vulnere sanis inflicto, nec gutta sanguinis manaret: & si res, vti putant, accideret, subitum & non obscurum leuamen acciperetur, mali causa imminuta. Grauiter igitur peccat, qui pluries incassum, & infœliciter

ter ſparſo ſanguine, inpoſterum non abſtinet: ac penitus cœci ſunt, qui ex malleolo deducere ad miraculum iactant: ſed excuſandi, quia ſanguinem in venis ſtagnare credunt: & ad inferiora detracto, cor, cerebrum, & reliqua viſcera ſarcina exonerare præſumunt. Alijs placet venam ferire, non ad vacuandum peſtiferum humorem, ſed vti dicunt ad ventilandum, ac malignas fuligines extrudendas. Vel ſi per poros nulla ſanguinis iactura hoc natura nequeat vtilius perficere, & vel adeo craſſi ſint illi vapores, vt niſi per amplum foramen proſilire non poſſint.

Bubonibus emergentibus, cucurbitulas circumapponere, ac fermento cum muco fœnugreci remollito operire. Cerata omnia gummita nimiùm adſtringendo reijciunt. Nec vnquam vrere, ne humore exſiccato, vel non putreſcat, vel ſerò poſt chruſtam diuulſam. Satiùs incidere, vt ſanguis exeat. Carbunculis verò micantibus, hirudines circumaffigere, ſcarificare, theriaca cum mercurio cooperire: &, ni circa partes principes, dilatationem patere, quo plus virulentiæ effluat. Si vſtulaueris, obdurata parte, mananti tetro ſucco impedimentum oppones. Papulis tandem effloreſcentibus, cucurbitulis occurre Aetij inunctione, & ni febris nimiùm acris. Aquâ ardente, elixir hauſtu, ſudoriferis.

Tot

Tot linimenta, electuaria, pulueres, potulenta, quæ ab alijs, infinitis encomijs circumferuntur, data opera reticeo; tum quia iam vulgata, tum quia sæpius adhibita, vel insensibiliter, vel nec ita profuerunt. Fortasse nec ego quidquam profecero: non tamen scripsisse pœnitebit. Satius est nouum experiri, quàm ea denuò resumere, quæ nunquam valuere.



FINIS.

